



Uæ sunt potissimum machi-
næ, quibus viperina Photini genimina
Ecclesiam Christi attentare & expugna-
re satagunt: quarum i. est *veritatis obscura-
tio*. Omnes enim illorum conatus hoc
studiosè agunt, ut infallibilem fidei nor-
mam obfuscent, vel *appositione*; modum

interpretandi efformando talem, per quem & omnia incerta
& ambigua fiunt, & ex quovis quidvis fingi extruere potest:
vel *deminutione*; errores profitendo eos, qui itidem sacris li-
teris vim, id est, salutis viam monstrandi infringunt, vel deni-
que *mutatione*: clarissima testimonia flagitiosè ita perverten-
do, ut verus & genuinus sensus Scripturæ in planè contra-
rium, absurdum & antea inauditum abeat.

2. *Est mendacii persuasio*. Mendacium res est, per se omnibus
invisa, nec facile quispiam sibi illud persuaderi patietur, si,
quid illud sit, non ignoret: multò minus, si quorsum etiam
spectet, nempe aut ad gloriã Dei imminuendam, aut ad ne-
cem homini inferendam intelligat. Idcirco adversus hæc in-
commoda duplici utuntur artificio impostores illi: Sophi-
sticã nimirum & Hypocrisi. Fucis enim & veritatis colori-
bus, aut etiam Dei testimonijs sed contortis & depravatis
mendacium oblinunt & tegunt, ac seiplos tanquam solius
patris Domini nostri Jesu Christi, utpote unius Dei confes-
sores, depingunt: Tantum abest, ut Christiani nomine quis
indignos eos censeat. Smal. cont. D. Frantz. disp. I. p. 10. Idem
ad nova monst. c. 1. p. 1. Moscorovius refut. append. p. 3. ut a-
lios ab se dissentientes vel maximi erroris suspicione onerent.
Verùm enim verò licet nil nisi meram pietatem sanctimoni-
amq; (quo nomine nõ secus ac præsentissimũ toxicũ melle &
saccaro incrustatũ, illorũ blasphemiarũ insinuantur incautio-
ribus) spirare videantur: nihilominus tamen eos esse, qui S. S.
Trinitatem negantes, filium verum & Patri ὁμοῦσιον
A 2 Deum